e-codices

VIIII	VI	IIII
VIIII	XV	XXV

Superbipartiens igitur ex conversis sesqualteris habitudo producta.
Quod si quis ad hanc speculationem diligens scrutator accedat
ex sesquitertiis conversis sup(er) tripartientem producet. Caeterisq(ue) similibus
vocabulis adaequatis cunctas ex sup(er) particularitate super partientes
species procreari mirabit(ur). Ex non conversis aute(m) sup(er) particularib(us) sed ita ut ex multiplici procreatis sui
manentib(us) necesse (est) multiplices super particulares creari. Ex manentib(us) vero sup(er) partientib(us) ita ut ex sup(er)
particularib(us) prodier(unt) non aliu(d) nisi multiplices super partientes procreabunt. Sed de his quidem hactenus;
Diligentius enim in arithmeticis libris de hac comparatione est disputatum. FINIT

REGULAE QUODLIBET CONTINUAS PROPORTIONES SUPER PARTICULARES INVENIRE

Sepe autem accidit ut vel tres vel quattuor vel quodlibet aequas sup(er) particularium proportiones diligens musica disputator inquirat. Sed ne id casu atq(ue) inscitia facientes error ullus difficultatis impediat
hac regula quodlibet aequas proportiones ex multiplicitate ducemus. Unus quisq(ue) multiplex
ab unitate scilicet computatus tot super particulares habitudines p(ro)cedit. suae scilicet in contrariam
partem denominationis. quotus ipse ab unitate discesserit. hoc modo ut duplex sesqualteras antecedit.
Triplex sesquitertias. quadruplex sesquiquartas; hac deinceps in hunc modu(m). Sit igitur duplorum
terminorum subiecta descriptio

I	II	IIII	VIII	XVI
	III	VI	XII	XXIIII
		VIIII	XVIII	XXXVI
			XXVII	LIIII
				LXXXI

In superiore igitur discriptione binarius primus
multiplex unum a(d) se ternarium habet qui possit
facere sesqualteram proportione(m). Ternarius vero
non habet qui ei possit e(ss)e sesqualter q(uonia)m medietate deficit.
Rursus quaternarius secundus duplex hic duos sesqualteros
antecedit senarium et novenarium qui medietate carent atq(ue) idcirco
nullus ei in habitudine sesqualtera comparat(ur). Et in caeteris idem (est).
Tripli vero eodem modo sesquitertios creant. Sit enim similis in tripl(is) discriptio.

I	III	VIIII	XXVII	LXXXI
	IIII	XII	XXXVI	CVIII
		XVI	XLVIII	CXLIIII
			LXIIII	CXCII
				CCLVI

In superiore igitur descriptione sesquitertias proportiones
continuatas videmus. ut primus triplex unum sesquitertium antecedat. secundus duos. tertius tres. sexq(ue)
pars tertia in ultimo numero naturali quodam fine claudat(ur).
Quod si quadruplum statueris. eodem modo sesquiquartos invenies.

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 298(119), p. 54 – Boetii geometria et musica
(http://www.e-codices.ch/fr/sbe/0298/54)